

Q. D. B. V.

ACTUM ORATORIUM

De

JUSTITIA PILATI

CONDEMNANTIS

CHRISTUM,

ad d. 12. April. M DC LXXI.

instituentum

In Illustri Augusteo

decenter intimat

M. CHRISTIANUS Weise /

Polit. Eloqv. & Poes. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,

Excudebat CHRISTIAN Hildebrandt.



Psi nulla est antiquitatis memoria, quæ fabulis aut fabularum suspicionem careat undiquaque: nescio tamen, quâ Monachorum ignorantia dicam aut nequitiâ factum est, ut præ cæteris sacrarum literarum historiae variis & ridiculis sæpè conspurcarentur traditionibus. An forte credula plebs in superstitionum vinculis ita debuit contineri, ne ad ipsam scripturæ lectionem confugeret, si tam pulchra aliunde accederent Evangelia? An ipsi meliora nescientes carbones suas pro thesauris haberi voluerunt? Exempli loco nobis sit trita de Pilato historia, quot ea figmentis aucta? quot narrationibus variata? quot interludiis quasi perpolitata?

Primum fabulæ actum facit ejus Patria, quæ quidem magis est controversa, quam olim Homeri, quem, ut ait Cicero *Orat. pro Arch. Colophonii civem esse dicebant suum, Chii suum vendicabant, Salaminii repetebant, Smyrnæi verò suum esse confirmabant.* Aliqui Germanum fuisse contendunt, patriamque assignant Forchemium, quod oppidum spectat ad Episcopum Bambergensem in Franconiâ, & leguntur apud Chytræum in *Onomastic. dict. Pilatus*. Rhopalici figmento tam egregio planè digni

*In Forchem natus est de natione Pilatus
Teutonice gentis crucifixor omnipotentis.*

Ger-

Gerhardus Harm. *Quat. Evang. cap. 190. pag. 1842. cum*
multis aliis, provocat ad Sabellicum, qui tamen re-
centior est, & Maximiliani I. temporibus demum cla-
ruit: Ejus autem *Ennead. 10. lib. 9. pag. 1016. hæc sunt*
verba: *Est Forche in Noricis locus, præcipuo panis candore*
insignis, distatq; id oppidum non procul à Norimbergâ: hujus ter-
ræ accola Pilatum cognomento Pontium popularem suum memo-
rant. Adde Zeilerum *Itinerar. Germ. cap. 17 p. 401. S.*
St. Forchheim cujus hæc est narratio: Man giebt vor/als
solte Pontius Pilatus allhier seyn geböhren / und hernach von
den Römern wegen seiner Tapfferkeit befördert worden.

Neque tamen ita certa fuit hæc opinio, quin à
multis rejiceretur, quorum verba vid. ap. Daniel. Clasen
in eruditissimis Exercit. Sacr. ad Passion. Dominic. lib. 2. cap.
12. n. 1. Ubi etiam idem Clarissimus Autor ex Zeilero
Continuat. Itin. Germ. l. c. aliquam nec incredibilem af-
fert conciliationem: *quod alius quispiam, quàm ille Præ-*
ses Palæstinae, sed hujus nominis fuerit, qui ibi vixerit.

Alii in Gallia aut Viennæ, aut Lugduni aut ali-
bi natum asserunt; quam quidem gloriam ipsis non
invident Germani. Sed tamen ista quoque assertio
sibi non videtur constare. Multi enim & inter eos
Ado Viennensis Episcopus scribunt; *Pilatum, jussu*
Cajæ Imperatoris, perpetuo exilio Vienna fuisse reclusum vid.
Baron. Annal. ad ann. 41. num. 20. Jam quæ est exilium,
si mittaris in patriam?

Novam adhuc patriam allegat Martinus Bohe-
mus, Laubanensium Pastor, in *spe&aculo Passion.*
Christi, conc. 63. part. 1. his verbis: Andere unterstehn
sich einen Schlesier auß ihm zu machen: denn weil Lira sagt /
er sey von Lugdun gewesen / so sagen sie / daß Ptolomæus in
Beschreibung Deutschlands einer Stadt Lugidunum ge-

Handwritten note in German script:
By. U. 31 p. 781
von d. d. f. d. d.
d. d. d. man d. d.
f. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d.

dencke / die sey Glogau. At verò ista per jocum potius
quàm seriò statui crediderim.

Romanum fuisse Hieronymus Vida testatur in
noto fati versiculo :

Pontius insigni Romanus origine gentis.

& istud quidem probabiliter colligi potest, tum ex e-
jus officio, tum ex ipso nomine. Officium ejus hoc
fuit, ut esset Procurator Judææ *vid. Tacit. lib. 15. Annal.
cap. 44.* Quæ res ut intelligatur, sciendum, apud Ro-
manos in duplici censu fuisse provincias, dictasque
aut majores aut minores. Majores in sexto Consula-
tu Augusti Cæs. dividebantur, ut aliæ darentur po-
pulo, aliæ Cæsari. In eas, quæ ad populum specta-
bant, mittebantur Pro-Consules; quæ ad Cæsarem
pertinebant, gubernabantur à Legatis aut Propræto-
ribus, qui interdum Prætores dicti aut Legati Propræ-
tores: Rectorum verò & Præsidium nomen generale
erat, nisi quod istorum vocabulorum acceptio magis
inclinaret ad Cæsareanos. *vid. Lipsium ad lib. 1. Annal.
Tacit. Excurs. M.* Sed minores Provinciæ Procuratores
saltem habebant, quorum præcipuum ac proprium
munus, (*verba sunt Lipsii ad lib. 12. Annal. Tac. Excurs.
B.*) ut reditus ac tributa colligerent, aliæque quæ ad fi-
scum. Sed quoniam nullo alio Præside, res sæpè co-
gebat jus inter provinciales dici, etiam in re crimi-
num; factum ut jurisdictionem aliquam sibi sume-
rent, Præsidium exemplo. Quod Procuratorum ge-
nus notæ & discriminis causa dicti passim in libris le-
gum Procuratores vice Præsidis, aut cum potestate.
Talis igitur, judice *Lipσιο loc. cit.* Procurator fuit Pila-
tus, & assentientem hîc invenio *Barthium Adversar. lib.
7. cap. 2.* qui etiam dubium Lactantii locum corrigit,

ut

ut pro Pilato Syriae Legato Silanum substituatur, magis
cum veritate.

Jam si Pilatus Procuratoris officium sustinuit, ex
Tacito in vit. Agricol. cap. 4. apparet, equestrem eam
fuisse nobilitatem. Sicut etiam *Dio lib. 53.* asserit Pro-
curatores à Cæsare missos fuisse τὰς μὲν ἐκ τῶν ἰππέων, τὰς
δὲ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, quosdam ex equitibus, quosdam
ex libertis. Et de ipsâ Judæa memorat *Tacitus lib. 5.*
Hist. cap. 9. Claudium Judæam provinciam equitibus
Romanis aut libertis permisisse. Hinc facile conjici
potest, & promptiorem indigenarum, & difficilio-
rem exterorum fuisse officii istius impetrationem.

Sed hæc de officio. De nomine canoras etiam
audimus nœnias. Quidam ajunt, Pilati nomen fuis-
se proprium, compositum ex nomine Matris, quæ
dicta sit Pila; & Patris, quem vocaverint Atum;
Pontium verò dictum, aut ab Insula Ponto, quò rele-
gatus aliquando fuisset ob perpetratum homicidium
vid. Christoph. Nicolai suscitabul. Conscient. pag. 298. aut ab
eadem insulâ, quò Iudex missus fuisset à Romanis,
quod ex aureâ Legenda affert Clasen loc. cit. num. 3. Cœterum
nescio quorsum respexerit *Philippus Bergomas Chron. lib.*
8. quòd eum Regis appellaverit Ipturium.

Id sanè certum, Pontiorum nomen apud Roma-
nos non fuisse incognitum, & quidem cognomen e-
jusmodi gessit Titus Pontius centurio apud *Ciceronem*
de senectute & Valerium Maximum lib. 3. cap. 8. n. 7. Præno-
mina autem rara non sunt, cum occurrat apud *Vellei.*
Paterculum Hist. lib. 2. Pontius Telesinus dux Samni-
tium, & apud *Valer. Max. lib. 6. cap. 1. n. 3.* Pontius Au-
fidianus eqves Rom. & apud *Livium Decad. 1. lib. 5.*
Pontius Gominius, &c. Sic Pilati nomen sine du-
bio

A 3

De Pontia gente
in Gallia, quæ
duces origines
a Pontio rege Pon-
tiæ st. vid.
Strabon. 9. 421.

bio gentilitium est, à quocunque tandem sensu derivationem velis capere: quot enim significationes admittat verbum pilo, pulchre deducit *Vossius in Etymolog. h. l.* licet propior conjectura respiciat pilum, teli Romani genus, quod *Varro* à percundo dixit quasi periculum, *Isidorus* à pilâ, *Vossius loc. cit.* optimè à similitudine pili, quo in mortario tunditur, & quod aliàs dicitur pisillum seu pistillum, ut ab ala axilla. *Add. Barth. Adversar. lib. 38. cap. 2. p. 1716. & Lipsium Poliorcet. lib. 4. Dialog. 4.*

An autem ejusdem sint profapiae, qui in Gallia vocantur Domini de Pila *Zeiler. Itin. Germ. loc. cit.* vel qui in Germaniâ dicuntur die Pilaten sive contractè die Platen. *Christoph. Nicolai l. c.* causa non una est, cur dubitem. Certè si originem Pilatus agnoscit Romanam, isti ad alios ablegandi sunt proavos.

Circumfertur etiam epistola à Pilato ad Tiberium Imp. scripta, quam ex *Ivone Carnotensi* reddit *Clasennum 4. p. 198.* cujus tamen stylus ab illius ævi puritate multum abest, & Monachum redolet, qui nihil nisi vulgatam Bibliorum legerit versionem. Ut etiam *Baronius ad ann. 34. n. 228.* existimet scripsisse quidem Pilatum Tiberio, sed forte aliam fuisse ejus epistolam.

Plura adhuc extant de ejus morte. Primo enim ajunt Romam fuisse citatum: non quasi Maria Magdalena de nece Christi eam ibi accusaverit, quas nugas refellit ipse fabularum Patronus *Baronius ad ann. 41. n. 20.* sed ut alias à se removeret delationes, quas ob injustitiam & crudelitatem incurrerat. Lepidum profecto Commentum est, quod ex *Didaco Vega* recenset *Clasenn. l. 6. n. 4.* Ob Christi necem Pilatum fuisse Romam

VOC-

vocatum à Tiberio Imperatore, ut rationes sui redderet iudicii, forte an, quod innocentem condemnasset ad mortem, capite suo injustum illud iudicium luiturus. Is verò ubi coram Imperatore Christi induens tunicâ comparuit, efferatâ primum Cæsaris irâ mox in admirandam versâ mansuetudinem, factum suum excusavit tacitus. Cæsar ubi eum dimisit, postmodum facti pœnitens, ac si egisset ignavius, iterum illum ad se accersivit: Sed Christi tunicâ vicissim coopertum dimisit absq; pœnâ. Tandem ubi hic aliquid subesse suspicatus est, iniquum iudicem ex utâ prius sacrâ veste, morti addixit. Sed vix sunt, qui talia credant: cum homo Ethnicus nobilitate imprimis conspicuus, temerè non induerit vestem Judaicam, detractam homini ad mortem condemnato. Neque absurdum est credere peculiarem usurpasse habitum Procuratores, cum Præsides honoris ergò gestaverint τὴν στρατιωτικὴν στολὴν seu Paludamentum, vid. Lips. lib. 1. Excurs. M.

Quid aliqui narrent de exilio ejus Viennensi, supra tactum est: & refert Baronius eo ipso loco intulisse eum sibi manus violentas, sive ob angores illatos à Cajo, sive ob angustias conscientiæ.

Cæterùm prope Lucernam, quæ Helvetiæ civitas est, Mons conspicitur, vulgo dictus Pilati Mons, in cuius vertice lacus Pilatinus occurrit, qui, ut loquitur Lansius Consult. contra Gall. p. m. 349. ejus esse naturæ fertur, ut, si quid temerè in aquas illius projiciatur, coelum statim in atras coëat nubes, ac fulminibus, grandinis & nimborum fragore horrendum detonet, cum viciniæ damno & tremore. Hinc contendunt aliqui Pilati cadaver Caligulæ tempore in Tiberim dejectum & post in Rhodanum Viennam versus delatum, tandem in lacum istum fuisse præcipitatum. Verùm

rūm enim verò quis credat tot ambagibus circumvolu-
tum esse unius hominis cadaver? Est etiam, eodem
Lansio teste *loc. cit.* Bessinus lacus Arvernix non dissimi-
lis naturæ, in excitandis tempestatibus, ut adeo alia
subesse credatur causa, quam Corpus Pilati.

Sed relinqvamus fabulas. Elegimus quæstio-
nem ex sacrosanctâ Passionis historia potiorem, quæ
dicendi materiam suppeditet Oratoriæ Studiosis. An
Pilatus justus, an verò injusti Judicis fecerit officium,
condemnato Christo? Ista enim quæ hic in medium
afferri possunt, & ex ipsâ eliciuntur ratione, & foren-
sis actionis aliquod instar habent. Ut adeo non mi-
nus exercere animi lingvæque dexteritatem, quam
pietatis observare debitum queant.

Prodibit itaque Prologus

DN. GOTTFREDUS LEO, Oberwüntsch. Thur,
qui paucula præfatus proponet quæstionem. Hinc

DN. GOTTFREDUS HÖFER, S. Ulricens. Thur,
dicet pro Pilato. Inde

DN. JOHANNES PHILIPPUS SCULTETUS,
Torgens. Misnic.

dicet contra Pilatum. Tandem, qui quæstionem pro-
posuerat, suscepto sententiarum arbitrio, pronuncia-
bit contra Pilatum.

Sanè dicendi argumentum est ejusmodi, ut ab istius
temporis devotione non abhorreat. Speramus igitur
affore Auditores satis frequentes, cum accedendi cau-
sam inveniant plus quam unam. Nos quod attinet,
acceptam hac in parte sive gratiam, sive amorem, sive
promptitudinem, quâ par est devotione officiorum-
que oblatione aut demerebimur, aut si id non licuerit,
demereri conabimur. P. P. d. 11, April. 1671,